

† R. P. Franciscus Sal. Nemec.

Hieme a. 1922, cum per Europam morbus, quem « influenza » dicunt, grassaretur, Pragae morte abruptus est hic genuinus S. Alphonsi filius, qui olim primus provinciae Pragensis superior fuerat et de ea erigenda constituendaque optime meritus est, cuius memoria semper non solum apud nostros, sed etiam apud clerum tum regularem tum saecularem et apud populum in benedictione erit.

P. Němec natus est die 24 ianuarii 1850 in Chořelice Moraviae, prope collegium nostrum in Červenka, e familia vera pietate eminenti. Pater agricola erat, vir religiosus, strenuus et peritus, ita ut a civibus vici per multos annos decurio eligeretur. Mater, quae Patre nostro Car. Nováček diu confessario utebatur, pia erat, in laboribus indefessa, in pauperes benefica, christianaæ perfectioni studebat. Franciscus noster duos fratres habuit, e quibus unus factus est sacerdos saecularis, alter in statu fratris laici Congregationi nostrae nomen dedit. E sex sororibus duae vitam religiosam amplexae sunt, quarum natu minima superiorissae generalis munere in congregatiōne sororum « de Notre Dame » in Horažďovice fungitur. In tali familia pueri Francisei pietatem creuisse mirum non videtur.

Studiis gymnasialibus Olomucii operam navavit, quibus absolutis a. 1868 suadente matris confessario Congregationi SS. Redemptoris nomen dare constituit noviciatumque in Eggenburg P. Andrea Hamerle magistro incepit. Cum autem totum annum in noviciatu transegisset, vota emittere nondum potuit, quia periculum militiae subeundae imminebat. Itaque post annum demum militiae periculo praeterlapso die 28 iulii 1870 ad vota admissus est. Studiis theologicis in studentatu Mauternensi operam dedit, ubi die 12 augusti 1873 dignitate sacerdotali insignitus est. Studiis tandem absolutis et secundo noviciatu peracto Pragam missus est, ut in populo bohemio laboraret.

P. Němec spem bonam in se positam non fefellit. In ecclesia nostra aliisque Pragae ecclesiis atque in missionibus tam strenue egit, ut sanitatis detrimentum pateretur. Post quinquennium itaque Vindobonam missus est,

unde post annos quattuor iterum Pragam expetitus zelum apostolicum in vinea Domini colenda auxit. A. 1887 Rectoris consultor creatus, sed iam anno sequenti 1888 collegii Sacromontani Rector constitutus est. Inde per 30 annos continuos superioris munere fungebatur. Quot his annis labores, curae, itinera, insomnia, alia id genus ei sustinenda fuerint, solus Deus scit. Cum a. 1918 rectoratu exutus esset, ipse confessus est: « Qui tridinta annos praefuit, iam quietis paululum desiderat ».

Rector Sacromontanus ecclesiam cum porticu, qua circumdatur, renovare incepit, altaria ampliavit, ecclesiam statuis decoravit. Communitati, cui praeerat, prudentia, mansuetudine, affabilitate gratus fuit.

Anno 1893 domui B. M. V. ad Scalas Vindobonae Rector praefectus est, et cum Rñus P. Mauron in annum 1894 capitulum generale celebrandum indixisset, P. Némec in capitulo provinciali alter provinciae Austriacae vocalis electus est. Roma redux novi Rectoris Maioris iussu provinciae visitationem peregit iterumque domus Vindobonensis Rector est constitutus, in quo munere usque ad a. 1898 permansit. Fama tum in provincia vulgatum erat, P. Némec scire rigida praecepta regulae mansuetidine et affabilitate sua leviora reddere.

Anno 1898 domus Pragensis regendae gubernacula suscepit. Eo tempore iam multum de disertienda provincia Austriaca erigendaque nova provincia Pragensi agebatur, cuius actionis P. Némec dux fuit. Res felicem effectum consecuta et provincia Pragensis constituta est die 26 aprilis 1901 eique adiuncta vice-provincia Polonica. Summa laetitia Patres Bohemi P. Némec, virum prudentem, doctum, pius, regularis disciplinae tenacem, primum provinciae superiorem salutaverunt. Novus Provincialis primum omnium curavit, ut iuventuti provinciae educandae provideret. Iuyenatus iam a. 1896 cum permisso Rñi P. Generalis Raus in Červenka inceptus erat. Domus novitiatus in Bilsko Moraviae constituta est, cum matrona quaedam bona sua Congregationi obtulisset. Difficilius erat domum studentatui aptam invenire. At tribus horis a Monte Sacro monasterium olim vetus distabat Eremitarum S. Pauli, quod a Iosepho II imperatore suppressum tum in possessione principis de Colloredo-Mansfeld erat. Felici cum principe rerum compositione facta monasterium cum ecclesia emptum atque die 13 augusti 1902 domus studiorum in Obořiště instituta est.

Novae fundationes brevi accessere, a. 1905 Brunae in Moravia et a. 1907 Plsnae in Bohemia. Provincia Pragensis, quae a. 1901 tribus domibus constabat, in provincialatu P. Némec ad septem domos crevit. Sed etiam interno spiritu et laboribus apostolicis provincia crevit. Nam P. Némec in singulis domibus observantiam regularem firmavit, labores apostolicos promovit, Patres apte collegiis adscripsit, ut alii missionibus, alii s. exercitiis, alii vero ministerio in ecclesiis nostris vacarent, alii ut lectores, unusquisque secundum proprium ingenium occuparentur.

P. Němec optimus confessarius peritusque dux animarum fuit. Magnam enim scientiam theologiae dogmaticae et moralis cum eximia peritia, quam in missionibus acquisiverat, et cum morum probitate et spiritu orationis coniungebat. Unumquemque, sive extraneum sive subditum, sive sacerdotem sive laicum, semper paterna affabilitate allocutus est. Cum autem increpare cogeretur, aureo ducebatur axiomate: Fortiter in re, suaviter in modo. Subditum paterne admonuit, ita ut admonitionis acerbitudinem non sentiret. Quattuor trienniis superioris provinciae munere functus est. Cum a. 1912 P. Janauschek e provincia Vindobonensi visitationem extraordinariam institueret, summa laude P. Provincialem affectit ipsam provinciam Pragensem magna laude ornans. En optima satisfactio pro omnibus, quae optimus pater ad provinciae bonum subiit.

Sed etiam extra Congregationem aestimatione omnium fruebatur, episcoporum et praelatorum, sacerdotum saecularium et regularium, principum laicorum et popularium. Permulti, etiam proceres, conscientiae moderatorem eum elegerant, cuius consilium saepe in rebus arduis et implicatis peterent.

Anno 1912 provincialatu liberatus per sex annos Prague Rectoris munus obivit, donec a. 1918 etiam hoc munere exutus minister eiusdem domus constitutus est, quo munere fungentem mors rapuit. Die 12 februarii 1922 ultimum sacrum litavit. Corporis lassitudine oppressus lectulo se tenere coactus est sperans se brevi morbum superaturum esse. At sanitas redire noluit, quamquam omnia levamina adhibebantur. In morbo tota eius spiritus perfectio apparebat, quam prius celare studebat. Praesertim ultimis tribus diebus precatiunculas tenerrimas effundebat, fratrem servientem sibi rogavit, ut in lectulo ita eum pararet, ut ne minima quidem res inordinata «sacrum mortis momentum» turbaret. Finem vitae sentiens appropinquare, cum frater monuissest, ut digne s. sacramenta susciperet, «Nihil», inquit, «timeo. Deo totus diu, iam diu deditus sum». Cum B. Virgine tam teneris verbis collocutus est, ut eam oculis cernere videretur. Die 22 aprilis sub vesperum ab uno e Patribus ipse enixe postulavit, ut «Magnum Dominum» sibi afferret. De morbi molestiis numquam conquestus est, ita ut omnes mirarentur. Post meridiem diei 23 aprilis agonia incepit, quae sequenti mane vitae meritis plenae finem fecit. Die 27 aprilis sollemnissimo comitatu in coemeterium Vyšehradense elatus est.

P. Němec verus Redemptorista fuit. Spiritum S. Alphonsi iunioribus sodalibus verbo et exemplo tradere conabatur. Optime versatus in scientiis philosophicis, moralibus dogmaticisque apprime sistema morale S. Alphonsi eiusque historiam scrutatus est, quod in conferentiis moralibus declarare, elucubrare, indagare non desistebat. Non tantum autem studendo verus Redemptorista apparuit, sed imprimis virtutes SS. Redemptoris imitando piasque consuetudines in Congregatione usitatas conservando. Mira

devotione ferebatur in Iesum Infantem, in SS. Eucharistiam, in B. M. V.
de perpetuo succursu et de bono consilio, in Ss. Alphonsum, Clementem,
Gerardum. Viva fides, humilitas, zelus apostolicus, prudentia, caritas fra-
terna, affabilitas, mansuetudo, hae erant virtutes, ob quas dilectus erat
Deo et hominibus, ob quasque eius memoria semper in benedictione erit.